





Q. R. B. V.

1693 42.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

54

*Exercitatio Sexta*

13

DE NUPTIIS,  
ET

TUTELA FEUDALI,

*Quam*

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore,

*D. IX Septemb. M DC XCIII.*

*In Auditorio Jctorum*

publice defendet

CHRISTIAN LUDVVIG FRITSCH,

Schvartzburgicus.



VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.


POSITIONUM JURIS FEUDALIS  
EXAMEN  
DE SUPPLIS  
ET  
TUTELA FEUDALI  
PRÆSIDE  
CASPARE HEINRICO HORNIO  
J. U. D. P. R. A. D. P. A. N. D. O. C. T. O. R. U. M. P. R. A. S. I. D. I. C. O. L. L. E. G. I. O. R. U. M.  
JURIDICORUM, P. R. A. S. I. D. I. C. O. L. L. E. G. I. O. R. U. M. A. D. V. O. C. A. T. O. R. U. M.  
D. D. S. E. P. T. E. M. B. E. R. M. D. C. L. X. C. I. I. I.  
I. N. A. U. D. I. T. O. R. I. O. J. U. R. I. S.  
P. U. B. L. I. C. E. A. C. T. O. R. U. M.  
CHRISTIAN LUDWIG ERITSCHE  
SCHWARTZBURGICUS  
WITTEBERGÆ, P. R. I. N. C. I. P. A. L. I. S. G. O. D. E. F. R. I. D. I. A. N. O.





I. N. D. N. J. C.

I.



Ure Feudali circa nuptias nihil peculiare est constitutum, nisi quod ad matrimonium ad Morganaticam attinet. Ifernias alique hanc vocem ex latina lingua derivant, ac quasi *mortis causa capionem* dictam volunt. Sed nimis longè id petatum esse putamus. In Legibus Longobardicis *Luitprandi præsertim tit. 4.* sæpius mentio fit vocis *Morgencap*, quam Longobardicam vel Teutonicam esse nulli dubitamus: quæve aliud nihil significat, quam donum matutinale. *Lindendrech in Gloss.* Qua de causâ illos putamus rectè sentire, qui *2.F.29.* corruptam lectionem agnoscunt: namque potius ad Morgengabicam quam ad Morganaticam matrimonium tale dicendum esset. Planè *Baro. Schenkius* testatur, se vidisse antiquissimum Codicem, in quo *ad Morgengabicam* legeretur.

II. Origo rei ipsius *2.F.29.* ad L. Salicam refertur, sive consuetudinem Franco-Gallorum, qui dotario constituto ducebant uxorem, quo liberi ex eo matrimonio nati contenti esse debebant, nec poterant reliquam hereditatem paternam cernere. Recepta postea fuit apud Mediolanenses, & quidem præcipuè si secundæ nuptiæ erant celebrandæ. In Germaniâ hodie usu Juris publici ejusmodi matrimonia inter Principes & Comites aliasque personas illustres sunt usitata. Nobilibus enim, aut aliis inferioris conditionis hominibus hætenus non concessum est, ut privato ausu matrimonium ejusmodi suscipere possint. *D. Lyncker ad Struv. cap. 9. aph. 4. n. 8.* Etsi vero Germaniæ Principes alique personæ illustres liberrimè nuptias contrahunt, sine consensu Imperatoris, quod apud exteros in Galliâ præsertim, non licet: *Myl. ab Ebreb. in Gamol. cap. 2. n. 7. cap. 3. n. 4. Dn. à Rbez. Instit. J. P. 1. 21. 1.*

A 2

Putamus

Putamus tamen, quoad bona Imperii Feudalia hodie opus esse consensu Imperatoris, *arg. art. 39. C. Leopold.* quamvis Jure Communi Feudali quod matrimonium hocce probat & ratum habet, atq; Vasallis indulget, nullus Domini Feudi consensus exigatur. Imo tunc etiam consensu Cæsareæ Majestatis opus erit, si in pactis talis dignitas liberis ex hoc matrimonio natis assignetur, qualem pater ipse non habuit. e. c. Si Princeps matrimonium ineat hac lege, ut liberi nati Comitum aut Baronum axioma fruantur. Nam cum has dignitates Imperator solus conferat: pactis illam acquiri non posse, dubio caret. Quod si vero Pater præter Principalem Comitum vel Baronum dignitate gaudeat, valere pactum putamus sine consensu Imperatoris, ut axioma Comitum vel Baronum transeat in natos. Planè usu juris publici invaluit, ut ejusmodi liberi, quibus nulla alia dignitas assignata, inferiore gaudeant nobilitate.

III. Matrimonium hoc plerumque contrahitur cum foemina minus nobili, vel inferioris conditionis. *2. F. 29.* Ea enim quæ pari splendore Natalium gaudet, vel etiam superat sponsum, dedignabitur hoc matrimonium: nec parentes fortè consentient. Quod si tamen parentibus sit destituta, placeatq; ipsi conditio, vel si vivi parentes nõ repugnent, nullam causam video, cur non & cum nobiliore Morgenaticum matrimonium esse possit.

IV. Pacta & conditiones, quibus matrimonium hocce iniri solet, recensent *Myl. ab Ebrenb. in Gamol. c. 6. §. 1. Dn. Stryk. qu. 4. cap. 7.* Sed ista ex illorum numero sunt, quæ interdum locum habent, non semper. Dependent scil. omnia ex libera contrahentium voluntate. Illud vero non negamus, ad essentiam matrimonii hujus requiri, ut foemina, & liberi inferiori conditione habeantur, & non idem Jus habeant, ac si matrimonium jure communi esset contractum. Id etiam dubio caret, patrem in favorem uxoris & liberorum, in totum recedere posse ab his pactis, atque illam illosque habere loco alterius uxoris, & liberorum ex matrimonio jure communi contracto natorum, vel in totum l. in tantum saltè; testamentoq; ex bonis, de quibus liberam habet testandi facultatem ampliusque relinquere, quam in pactis placuit. Quod si vero pacta cum liberis prioris matrimonii, vel cum agnatis simul sint inita, horum consensu hic utique erit opus *Myl. d. l. cap. 6. §. f. Rhet. l. 21. 15.*

V. Numerosam prolem subsidia dominationis & fulcimenta domus

domus esse, verum est. Æquali tamen conditione si omnes liberi habeantur, atque pari jure utantur in familiæ heriscundæ judicio, parum consulitur rebus familiæ illustris, facileque contingere potest, ut, quod de Græciæ civitatibus Justinus dicit, cum singuli imperare cupiunt; imperium omnes, si non perdant, saltem valdè habeant imminutum. Quod sane quam plurimæ potentissimæ Dous in Germania exemplo suo restantur, & dolent. Qua de causâ non culpandi, sed laudandi sunt Principes, dum aut liberorum, aut familiæ rationem habent, & majore quam necesse est sobole æquali onerare atque obruere domum non requirentem nolunt, non vagis amoribus & illicitæ Veneri operam dant, sed Lege Salica uxores ducunt.

VI. Matrimonium ad morganaticam contractum (quale non fuit conjugium Abratæ, & Cethuræ. *Ziegl. ad Grot. II. 7. 8.*) verum matrimonium est, omniaque hic concurrere debent, quæ in alio matrimonio, nisi quæ pactis mutata, & mutari possunt. Atque sic non tantum consensus contrahentium, sed etiam Parentum requiritur. Ob quam causam matrimonium, quod Ferdinandi I. Imperatoris Filius Ferdinandus cum Philippina Welseria sine consensu Parentis nullis præcedentibus tabulis contraxit, huc non commode referri potest. *Tbuanus Lib. 71. ad ann. 1580.* Porro omnes illæ causæ, quæ aliud matrimonium impediunt, e. g. vinculum sanguinis adversantur etiam huic. Sicque ille qui legitimum habet uxorem, aliam ad Morganaticam superinducere non potest. Quam ob rem hujus generis exempla huc non pertinent. Requiritur quoque benedictio Sacerdotalis iis in locis, ubi usu recepta. Fides Conjugalis utrinque eadem debetur, atque si ab una parte fracta; committitur adulterium. Liberi legitimi, & in potestate patris sunt. Et licet sponsus sinistram manum sponsæ porrigat, nihil tamen decedit matrimonii vinculo; sed illud tantum innuitur, dignitatem atque honorem novi mariti, non derivari plene in uxorem & liberos. *Dn. Lingk. Discursu de Matrim Leg. Salica contr. c. 3. n. 35.*

VII. Equidem Juri civili Justiniano matrimonium hocce conforme non est ob *L. fin. D. de suis & leg. hered. L. 35. §. 1. C. de inoffic. Testam. L. 3. C. de Coll.* quippe quod æqualitati inter liberos studet, diminutionem legitimæ vel privationem sine justâ causâ non admittit *Nov. 115.* nec pacta etiam tolerat de hereditate omittenda, *id Stryk, de succ. ab intest.*

D. K. c. §. Atque ita etiam forte intelligendus est Feudista §. Filii 2.F.26. quando dicit: *matrimonium hocce ratione* i. e. juris Romani *improbari*. Verum nec naturali rationi, nec Juri divino repugnat, si que nihil obstat, quo minus lege scripta vel non scripta introduci queat, Neq; etiã cum illis facimus, qui legitimam absolute, & quatenus alimenta excedit, aut successionem liberorum juris naturalis præceptivi esse putant. *Ziegl ad Grot. lib.2. c.7. §. 4. & 5.* Sunt qui arbitrantur patrem non posse præjudicare liberis quoad dignitatem, quam non habet à se ipso, sed à Principe summo pro se posterisq; accepit, nec dat adeo liberis, sed in illos saltem propagat. Verum cum translatio dignitatis in uxorem & liberos ad jus positivum pertineat, nihil obstat, quin alia lege positiva scripta vel non scripta circumscribi possit. Postquam ergo Jur. Feud. & moribus Germ. ejusmodi matrimonia recepta, Viro illustri uxorem sine communicatione dignitatis ducere, & liberos imparis conditionis generare integrum erit. Uxor non potest de injuria conqueri, quia consentit. Nec liberi id possunt: Parenti enim liberum fuit, omissio cum illorum matre matrimonio eos plane non gignere. Accedit, quod ex hujusmodi matrimonio à patre majore nobilitate gaudente, geniti, non omnis dignitatis sunt expertes, sed nobilitatem usu Publico retineant minorem, & particulam ex insignibus parentis.

VIII. De successione liberorum Morganaticorum ita breviter sentimus. Si pacta adsunt, tunc vel sunt generatim sine expressione bonorum concepta, aut bona sunt expressa. Priori casu aut extant liberi alii; & hoc casu filius Morganaticus neque in Feudum, neque in allodium succedit. Aut non extant, & tunc filius talis in allodium, non autem in Feudum succedit, hoc quæ ad agnatos vel dominum devolvitur. Posteriori casu, si pacta de bonis feudalibus vel allodialibus in specie concepta, secundum illa res est decidenda. *vid. Bitsch. ad 2. F. 29. Id. ad 2. F. 26. §. filii. Struv. Cap. 9. aph. 5. n. 9.*

IX. Solet controversi: an Principes aliæque personæ illustres imparis conditionis conjugem sibi ita jungere possint, ut & uxor & liberi Parentis dignitate plene gaudeant, atque in Feudis regalibus succedant? Cum nulla lege id prohibitum reperiamus, juris communis principis inhærendum hic esse censemus. Quod cum libertatem matrimoniorum hac parte non restringat, imo potius uxori & liberis, mariti & patris



tris dignitatem, atque jus successionis integrum non invidet: nulla causa, cur ab illo recedamus. Propugnant hanc sententiam post alios late *Myl. ab Ehbrenb. Gam. c. 5. n. 24. Salmuthus peculiari responso* de hac quaestione. Multi in diversa abeunt, atque ad contrariam praxin Germaniæ provocant & consuetudinem, ex quibus *Bertramum de Comitibus n. 45. Dd. a. Andler Jur. Pub. & privata p. 715.* nominasse sufficiat. Sed praxis hæc dubia est, nunquam probata, multo minus iudicio contradicto confirmata. Quid? quod pro priori sententia autoritas rei iudicata militat? Nam cum *Eduardi Marchionis Badensis* filio Wilhelmo ab Agnatis quaestio de successione moveretur, quod ex *Maria Jodoci, Baronis ab Eiken* filia natus esset, præsentem Imperatorem *Ferdinando II.* in Iudicio Imperatoris Aulico pro Wilhelmo die 15. Augusto 1622. sententia est dicta. *Itter. de Feud. Imperii C. 14. §. 9.* Quod si dicas, admitti priorem sententiam posse, si Princeps illustrem personam Comitissam vel Baronissam ducat, sed aliud merito videri, si nobilem vel plebejam, vel mediæ conditionis foeminam, (de quibus *Exercit. 27. II. Th. dictum*) eligat sociam vitæ, ob nimiam scilicet imparitatem respondemus quoniam & hic eadem, quæ ante allegata est, ratio militat, sententiam nos non mutare.

X. Eadem ratio multo magis movet, ut foemina plebeja quæ nobili nubit, & liberi ex illa nati nobiles habeantur, & hi in Feuda nobilia succedant. *Dd. ad L. 8. & 9. D. de senat.* Quod vero ejusmodi liberi ad torneamenta, vel ad dignitatem majorum quarundam Ecclesiarum, non admittantur, id non ideo fit, quod nobiles non sint, sed quia consuetudo, vel statuta eos excludit.

XI. Etsi virgo vel vidua quæ nubit marito inferioris conditionis jure communi perdit dignitatem patris vel mariti. *L. 1-2. C. de Dignit. L. 13. C. eod.* Solebant tamen olim nuptæ prius Consulari viro à Principe, quamvis perquam raro, impetrare, ut nupta iterum minoris dignitatis viro nihilominus in Consulari maneret dignitate. *L. 12. D. de Senat.* Ufu juris publici nostri hoc hodie intuitu foeminarum illustrium receptum est, ut sine nova impetratione, licet inferioris dignitatis marito nubant, servent dignitatem, quæ antea gavisæ sunt. Sic si Ducissa vel Principissa nubat Comiti, Comitissa Baroni, Baronissa Nobili, axioma prius quod adfuit marito parenti, illibatum manet, & dignitas mariti dignitatem uxoris non minuit, sed auget *Myl. Gamol. c. 5. n. 24.*

XII. Quoni-

XII. Quoniam in Germania Feuda sunt, in quæ Fœminæ deficiente mascula prole succedere possunt, quærunt Dd. utrum talis fœmina sine consensu Imperatoris & Ordinum istius Provinciae est, cui praesit maritum eligere possit? Negativam post Bethium *de Paëlis Familiae Illustris* c. 6. § 157. *Myl. Gamol. c. 5. n. 68. & de princip. & Statibus Imperii cap. 24. §. 3. & 4.* defendit Verum cum hæc sententia nulla lege vel solita ratione nitatur *Ill. Dn. Rhezii affirmans opinio Inst. 1. P. l. 21. 20* nobis placet. Quod si vero consuetudo vel pacta familiarum aliud exigant, quilibet facile concedat, secundum ea negotium hoc esse suscipiendum. Fatemur etiam prudentiæ laudem mereri Principem fœminam quæ in re tam gravi, ex qua publica res & commodum & detrimentum capere potest, nil temere agit, sed pro re nata, vel Cæsaris placitum, vel ordinum provincialium consilium in partes vocat. Sed si quis inde necessitatem quandam adstruere velit; nã ille valde absurdus esset. Illud verò caret dubio, maritum talem in Feudum uxoris non succedere, nisi Domini voluntas & consensus vel expressus vel tacitus, nec non Jura familiae id admittant. *1. F. 15. 2. F. 13. 2. F. 15.*

XIII. Vassallus filio suo testamento tutorem dare, non prohibetur. Imo etiam Tutor testamento in genere datus feudalibus bona administrat. *arg. §. 17. Inst. de Excus. Tut. Rosentb. d. l. Possunt tamen etiam diversi dari, quia bona allodialia ab feudalibus separata sunt, & sub diversis Jurisdictionibus sita. l. 15. ff. de Test. tut. licet alias certæ rei vel causæ Tutor dari nequeat. Schrad. P. 10. sect. 19. n. 15. Dissentit. Glossa ad art. 26. des Weich-Bildes n. 15. sed frustra Schrad. p. 10. sect. n. 23.*

XIV. Vassallus non tantum in Feudum successuros, sed quosvis etiam extraneos licet ejusdem Domini Vassalli non sint, tutores filio dare potest, modo habiles alias sint. *argm. L. 32. de testam. tutela. Quod etiam ad Principes ipsos extendunt Schrad. p. 10. sect. 19. n. 14. & 16. qui interdum quibusdam ex Consiliariis tutelam committunt, honorario alio tutore Principe plerumq; simul constituto. Myl. l. 29. Sed quia hic exclusio Agnati turbas sæpius excitare solet, prudentia opus est, quæ æstimet, non quid liceat, sed quid expediat. Pubel. de Tut. Elector. & Princ. cap. 4. n. 47.*

XV. Ipse Dominus Feudi testamento Tutor dari potest. *Schrad. pag. 10. sect. 19. n. 13.* Sed cum hodie omnes tutores juxta Reformat Polit.

Polit. de a 1548. 1577. confirmandi sint, quæritur: quis confirmare debeat Dominum si tantum intuitu rei Feudalis datus sit? Putamus aut ad Pares curiæ, aut ad Superiorem eundem esse.

XVI. Notissima est controversia, quæ bis in Domo Palatina turbas dedit: Utrum Testamentaria tutela in Electoratibus præferenda Legitimæ? Cui quæstioni occasionem dedit *A. B. c. 7. §. 3.* Negativam fovent *Limn. lib. 1. cap. 2. n. 103. Dn. Struv. obs. Feud. ad cap. 5. Obl. 6.* atque peculiaribus scriptis illam defendere *Zeschlinus & Gewoldus.* Affirmativam vero ariter propugnant *Dyonisius Godofredus, & Marquardus Freherus,* qui tamen aliquando alteri sententiæ favit. Autoritate publica nec lege, nec iudicio petitorio decisa lis est: nec ad rem ipsam momentum affert, quod Joh. Bipontinus à Friderico IV. Elect. Palatino. Friderico V. Filio Tutor datus, contra Philippum Ludovic. Neoburgicum in possessorio obtinuit decreto Cæsareo Rudolphi II. anno 1611. Incertum ergo adhuc est, quid de hac re sit sentiendum. Nos exercitii gratia *Godofredi & Freheri* opinioni subscribimus, quæ secundum interpretationem doctrinalem argumenta majoris ponderis pro se habere videtur. Refert illa in compendio *Eckoldt. in D. de Testam. tutel. Dn. à Rbez. Inst. l. P. Lib. 1. tit. 7. §. 9. Conf. Unrath. ap. M. D. Fritschium Exerc. 1. n. 1. D. Schilt. ad Tit. de Test. tut.* Quod si vero admittamus adversam nobis sententiam, ad Electoratus tantum pertinebit; nec ad alia Electorum Territoria trahenda erit. *Dn. Stryk. qu. 14. cap. 7. Rhet. lib. 1. tit. 7. tb. 14.*

XVII. Ratione Feudi Tutor legitimus is est, ad quem successionis commodum pertinet, sive agnatus sit, sive simulta nec investitus, sive ex pacto confraternitatis successurus, licet non sanguine junctus. *Dn. Stryk. qu. 15. n. 17. Bechm. diss. de Tut. Princ. c. 2. §. 3.* Hoc posito deficientibus agnatis ipse dominus quoque non immunis est ab onere Tutelæ *Schrad. p. 10. sect. 19. n. 70. Dn. Stryk. qu. 21.* Id quod etiam Jure Saxonico, *art. 14. 23. 26. Lehn-Recht* habetur, quamvis id hodie in usu non sit, quod ibi de fructibus ad Dominum Feudi ante annos pubertatis pertinentibus legitur. *Schulz. Symp. de leg. agnat. Tutela.*

XVIII. Matrem & Aviam majorem, si velint Tutelam Feudalem suscipere posse, nulli dubitamus, etiam exclusis Agnatis, vel Domino Feudi *Schrad. p. 10. sect. 19. n. 26.* Testaturque Praxis Juris publici intuitu Feudorum

dorum Regalium (des hohen Reichs-Lehn) idem observari. *Rosenb. c. 12. concl. 10. n. 22. Besold. de Tutelis c. 12 p. 18.* ita tamen ut & hic secundis nuptiis & Scto Vellei. renunciari debeat *Myl. 1. 29. 10.* Quamvis quoad Electoratus communiter aliud statuunt *Godofr. L. 3. de Tutela Elect. refutat. 12. p. 75.* Jure Saxonico si *Glossa ad art. 2. lib. 1. Land-Recht* crederemus; non nisi certis casibus, si nempe agnati vel planè deficient, vel in loco, quo degunt pupilli non sint, vel hi illegitimi sint, tutrix esse potest. Verum id usu non servari jam dudum *Zobelius* annotavit *ad art. 23. lib. 1. L. N.* Atque de hac re quoad bona feudalia, nemo rerum forensium peritus dubitat: videmusque quotidie, matres & avias suscipere & ope & consilio curatorum gerere liberorum tutelas. In Feudalibus vero solæ apud nos non admittuntur; sed quia Domini & simultanee in vestitorum interest, ne Feudum deterioretur, simultanee investiti in Feudum successuri illis adjungi solent. *Carpz. lib. 5. Resp. 80.* Cumque quæsitum esset, utrum simultanee investitus proximam spem successionis habens matri, quam Pater testamento Tutricem dederat adjungendus sit, non dubitavit affirmative respondere *Collegium Ictorum Wittebergense Mense Februarii 1690.*

XIX. Defendemus ea, quæ circa Agnatos habet *Dn. Stryk. qu. 18. 19. 20. 21.* hoc saltem addentes, Jure Saxonico Seniores præferri ex Agnatis simultaneè investitis. *art. 23. Lehn-Rechts.* Nam uti hocce Jure non agnatio sed simultanea Investitura fundamentum successionis feudalis est prout suo loco dicemus, ita etiam in tutela deferenda huc respiciendum.

XX. Quod si omnes deficient legitimi tutores, Dominusque ipse, se excuset, vel in habilis sit: tutor feudalis à Domino, immediato vel qui loco illius jurisdictionem feudalem exercet, alius dandus est. Principibus, & omnibus personis immediatis in Imperio Tutores dat Imperator ipse intuitu Feudorum immediatorum *Roding. Pandect. Cam. l. 1. tit. 18.* vel confirmat, si testamento dati. Neq; etiam hi ante Decretum administrationem suscipere possunt. *Habn ad Wesenb. tit. de Tut. n. 6. Rosenb. cap. 12. n. 64. Dominus à Rbez. lib. 1. tit. 23. §. 4. Struv. observ. 3. ad caput 10. Syntagm. J. F. Dissentit Gail. 2. observ. 107. Mynsinger cent. 2. obs. 37.*

XXI. Dantur in Electoratu Saxonico Feuda quæ immediatè ab Electore Serenissimo recognoscuntur; pro ambtassius tamen habentur, & Præfecturarum Idictioni subjiciuntur. *Carpz. L. 4. R. 30.* Quod si itaque  
ntuitu

intuitu talis Feudi solius Tutor dandus, quæritur: ubi petendus? utrum apud S. Seren. Elect. an vero apud præfectum? Nobis videtur prius.

XXII. Tutor à Domino Feudi datus bona allodialia administrare nequit. Nam quia Dominus Feudi in personam Pupilli directo non habet Jurisdictionem, sed tantum intuitu rei in Feudum concessæ: Jurisdictio hæc extra respectum rei personam pupilli non afficit. *Schrad. d. l. n. 89. 166.* Statuit hic autor *dict. n. 89.* Tutorem à Magistratu territoriali vel Jurisdictionis ordinariæ, cui subest Pupillus, respectu Feudi Tutorem dare non posse. Quod admittimus, si expressè ad Feudum dare velit Tutorem. Quod si autem in genere det personæ pupilli Tutorem, non dubito, quin Tutor talis etiam bona feudalia administrare possit. argm. *L. un. C. ubi petantur Curat. vel. Tut. ibique Brunnemanus.* Præsertim si Dominus Feudi non contradicat, vel alium constituat Tutorem feudalem: quod integrum ipsi esse arbitramur. *arg. l. 27. ff. de tut. & Cur. dat.* Plane si & quoad allodialia Dno. Feudi immediate subsit Vasallus, utrumque patrinomium Tutor datus administrabit. *Dn. Stryk. q. c. 7.*

XXIII. Tutor sive allodialis sive Feudalis, non nisi ab immediato Judice vel Domino dari poterit. *Schrad. d. l. n. 94.* ad quam sententiam Collegium Wittenbergense sæpius respondit. Hinc malè agunt, qui cum Tutore à mediato Magistratu dato vel confirmato contrahunt vel litem suscipiunt: non potest enim non actus nullitate laborare.

XIV. In bonis Tutoris feudalibus Pupillus tacitam habet hypothecam, si modo datus vel confirmatus à Domino isto, à quo Vasallus Feuda sua accepit. *Struv. c. 14. th. 27. n. 3.* Consensit enim tunc Dominus in hypothecam tacitam, quæ sententia diserte habetur in *Ordin. Processus Sax. Elect. tit. 48. & ultimo Constit. 25. pag. 2.* Ita tamen ut tunc demum locum habeat, si nullum allodium adsit. Plane agnatis vel simultaneè investitis, nisi consenserint, hypotheca hæc fraudi esse nequit. Quod ad fructus attinet Feudi, quia allodialium jure censentur, certum est, illos hypothecæ tacita subjacere, à quocunque Magistratu Tutor datus sit, vel confirmatus.

XXV. Quoad Curatorem feudalem nostra facimus ea, quæ habet *Dn. Stryk. qu. 26. 27. 28. cap. 7.*

XXVI. Si lis inter Dominum & Vasallum sit, vel de causa feudali, vel de ipsâ tutelâ suscipienda Pares Curiæ de illa cognoscent, & sic etiam Curatorem ad litem dare poterunt.

B 3

XXVII. Jure

XXVII. Jure Feudali quoad annos pubertatis & perfectæ ætatis nullibi recessum à jure communi : ergo id hoc passu hic sequi debemus. *argm. 2. F. 1.* Nec aliud observatur quoad Principes Imperii *Dominus à Pubel de Tutelâ Elect. & Principum cap. 10. n. 9.* nisi exceptio possit doceri, qualis est quoad Electores *in art. 7. A. B. qui XIX. anno completo majores habentur.* Simile quid in aliis Serenissimis & Illustribus familiis vel privilegio vel moribus introductum de quibus videatur *Myl. ab Ebrenb. de Aut. Princ. T. 29. § 7. Limn. I. 1. 7. 41. 42. ad A. B. T. 7. §. 2. tb. 25.* Volunt quidem nonnulli minorem ætatem finire anno 18. *ob 2. E. 53.* Sed ab jurisjurandi de pace tenenda præstatione, ad liberam rerum suarum administrationem non valet consequentia, vid. *Limn. T. 4. addit. L. 3. cap. 7. n. 47.* Jure Saxon. feudali pubertas an. 13. & sex septimanis finitur *Lehn- Rechts/ art. 26.* Minor ætas vero anno 21. Etsi autem Jure communi feudali tempus petendæ investituræ currat post completum annum 14. in Electoratu tamen Saxonie dilatio dari solet, *so lange bis der Unmündige seine 18. oder 21. Jahr erreicht hat.* *Bermöge Churfürstl. Resolut. de dato den 4. Octobr. de 1747. und Churfürstl. Lehns Mandati de dato 25. Febr. 1681. nicht 12. Nov. 1691.*

XXVIII. Difficilis est quaestio, utrum Comes Palatinus privilegium veniæ ætatis dandi habens concedere possit istam veniam in territorio Principis Imperii? *Negativa nobis arridet, ob rationes, quas in peculiari Scripto Anno 1690. executi sumus.*

F I N I S.



Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle  
003 586 286 3



L


Sb.

V017









B.I.G.

Farbkarte #13



R. B. V.

1693 42.

54

13

JURIS FEUDALIS  
atio Sexta

PTIIS,  
ET

FEUDALI,

*Quam*

ESIDE

NRICO HORNIO,

n P.P. atq; Collegiorum

hic sunt, Adessore,

ab. M DC XCIII.

rio *Actorum*

defendet

DVVIG FRITSCH,

tzburgicus.



Prelo Goderitschiano.

